Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1783
Quelle:
Copyright:

Fol. I. Catalogus tumultuarius *Operum Lutheri*, ejusque Assecularum.

Fol. XXIV. Nomina *Commissariorum, qui sunt idonei ad agendum cum ciuitatibus* imperii in religionis negotio.

Fol. XXX. *Articuli, in quibus non est concordatum* cum Protestantibus. Sunt *Confessionis Augustanae*, scriptique dicuntur in margine: *Auguste anno 1530. die 19. Septembris.*

Fol. XXXIV. *Summaria collectio tractatus, qui ob maiorem amicitiam atque tranquillitatem institutus est — 16. Augusti A. 1530.* ubi et *septem personae* nominantur, quae ex utraque parte congressae sunt. Rem habes apud *J. Cochlaeum in act. et script. Luth. ad h. a.* p. 209. et *G. Coelestinum in Hist. Comitior. Aug.* T. III. p. 42.

Fol. XXXX. *Sequitur breue quoddam compendium eorum que de statibus ordinati cum reliquis aduerse partis — ad causam deputatis egerint, que res ad quatuor articulos extenditur.* Acta sunt haec 29. *Aug.* 1530. Articuli vero erant: *Communio* sub utraque, *Missa* publica et privata, *Sacerdotum Conjugia, Monachatus.* Vide *Cochlaeum suprac.* p. 212. *Coelestinum* p. 59.

Fol. XXXXII. *Nouissimus tractatus cum quinque doctoribus atque Principibus tum ciuitatibus.* 30. *Aug.*

Fol. seq. Sententiae excerptae ex *Lutheri* et *Melanchthonis* Operibus latine.

Fol. XXXXIV. Responsum et judicium Card. Legati *Laur. Campegii* ad VIII. *Articulos* pro concordia propositos. Leguntur hi apud *Coelestinum* p. 78.

Fol. seq. Catalogus *Coenobiorum*, quae sustulit *Alb. Comes Mansfeldius* Saxoniae Electori a cons. intimo, germanicus, manu Fabri.

Fol. XXXXIX. Fragmentum *Capitum*, in quae usque ad futurum Concilium conventum est. Confer *Coelestinum* p. 78.

Fol. LI. Consilium, qua ratione ii, qui in Comitiis Imperialibus plurimum in religionis negotio pro parte Catholicorum laborarunt, praemiandi forent. Sunt vero *D. Joannes Eck, D. Joannes Fabri, Cancellarius Badensis D. Veus, D. Leonardus ab Eck et Nabeck*, et *D. Joannes Cochleus*, quorum labores singillatim enumerantur. V. *Coelest.* T. IV. p. 96.

Fol. LIII. Affectum, et *Fabri* manu frequenter correctum *Caroli V. Edictum contra Lutherum*, in quo mentio fit Edicti *Wormatiae* eodem in negotio a. 1521. propositi. Incipit: *Omnibus constare atque recenti memoria teneri non dubitamus. quo pretextu ante aliquot annos quidam nomine Martinus Lutherus* &c. In fine mancum.

Fol. LXI. Epistola *Anonymi* ad *Fabrum* de Colloquio *Capitonis* et *Buceri* cum *Zwinglio Tiguri* habito, et concordia cum eo circa Eucharistiam inita. *Reuerende ac obseruande Domine.*

Pro